


13

B





DISPUTATIO JURIDICA, 1612 4. 3
DE
ACTIONI- 5/
BUS IN REM CI-
VILIBUS, UTPOTE REI VINDI-
CATIONE, ET CONFESSORIA ET
NEGATORIA ACTIONIBUS.

QUAM

D. O. M. A.

&

*Amplissimâ Jctorum Facultate permitten-
te in inelyea SALANA.*

Praside præstantissimo VIRO,

Dn. VALENTINO MELASIO,
Brandeburgensi Marchicò LL.Candidato.

*Extraordinarii exercitii gratiâ Dominis Collegiis
suis discutiendam proponit*

BERNHARDUS à FLOTOVV,
Nobilis Megapolitanus,

ii. Julii, hora & loco consueti.

JENÆ

TYPIIS JOHANNIS WEIDNERI.

Anno à C. N. M. DC. XII.

4.

5. Actiones in rem aut proprie concernunt rem, dominium & proprietatem, & dicuntur vindicationes, aut concernunt possessionem, & ad interdicta pertinent.

t. t. l. ff. & C. de interd. Vult. § 1. n. 29. l. de A.

6. Proprietates, & gnomismata actionis realis sunt, I. quod non ex obligatione oriatur, sed ex re nostra ab alio possessa. Ex nostra itaque parte causa est dominium, ut nos dominos esse oporteat, si in rem agere velimus: Ex adversarii vero possessio. (a) II. quod ea agamus ad rei nostrae restitutionem, ut res nostra nobis reddatur ac restituatur. (b)

(a) *l. in rem. 23. ff. de R. V. b) l. officium. 9. ff. eod.*

7. Inter actionem in rem & in personam sunt haec differentiae: I. est ratione causae efficientis: Nam actio in personam oritur ex obligatione: Actio in rem a parte quidem actionis ex dominio: A parte vero rei ex possessione. II. est ratione subjectae materiae: Nam actio in rem rei: Actio in personam personae cohaeret. III. est ratione ipsius formae: Actio enim realis est perfectior personali, quia qui semel est dominus, amplius fieri non potest, (a) quod secus est in actione personali, quia debitum personaliter potest deberi adhuc alia actione. (b) IV. itidem ratione formae: Nam quoad libelli conceptionem in actione in personam causa propinqua omitti potest: Causa remota nunquam potest omitti; Contra vero, actione in rem causa propinqua nunquam potest omitti, causa remota potest omitti, utile tamen est etiam titulum seu jus & causam dominii referre, praesertim si de eo nobis constat (c) V. est ratione finis: Nam actio in rem ad id, quod nostrum est, restituendum vel reddendum: Actio in personam ad dandum faciendumque intenditur. (d) VI. est ratione effecti: Actione enim in personam is tantum, qui ipse contraxit vel malefecit, tenetur, actione in rem conveniri potest omnis, quicumque rem possidet. (e) VII. ratione adjuncti: Pro actionibus enim personalibus competit certi conditio, secus vero pro realibus. Ratio est, quia condicere nihil aliud est quam denunciare, quia de jure antiquo requirebatur, ut fieret prius denunciatio debitori obligato, autequam ad iudicium traheretur, & ita secum prius de debito simul loqueretur, unde dicta est conditio quasi simul actio,

7.
tunc actio, quod est simul edictio, sed in actionibus realibus cum nullam præsupponant obligationem, illa denunciatio non requirebatur de necessitate, sed tantum de urbanitate. (f)

(a) § sic itaque discretis. 14. l. de A. (b) l. possideri 3. § ex plurib. ff de acquir. vel am. possessio. Gom. ad § omnium. 1. l. de A. (c) arg. l. si mater. 11. & l. an eandem. 14. § actiones. 2. ff de exceptio. rei jud. Cisp. ad § omnium. 1. n. 8. 10. ibiq. Schneidw. n. 109. cum seqq. l. de A. (d) § omnium. 1. §. sic itaque discretis. 14. l. de A. l. in rem. 23. ff de R. V. (e) l. actionum. 25. ff de O & A. l. un. C. de alienat. jud. mut. caus. fact. Harprecht. ad § omnium. 1. n. 7. l. de A. (f) l. Debitoribus ibiq. gl. & Br. cum aliis. C. de pignor. l. quidam. 13. ff de servit. prædio. urban. Jaf. in l. certi conditio in pr. in 1. colum. ff si cert. pet. Gom. ad § omnium. 1. n. 14. l. de Act.

8. Actiones in rem sunt universales & speciales: Universales sunt: Querela inofficiosi testamenti: Petitio hereditatis: Actio si pars hereditatis petatur; Possessoria & fideicommissaria hereditatis petitio. Speciales in rem actiones numerantur ordine 10. I. est rei vindicatio special. sic dicta. a) II. actio confessoria. b) III. actio negatoria. (c) IV. publiciana. (d) V. rescissoria seu quasi Publiciana. e) VI. Pauliana. f) VII. Serviana. g) VIII. quasi Serviana sive hypothecaria. (h) IX. emphyteuticaria. (i) X. superficiaria. (k) Harum 1. 2. 3. civiles sunt, reliquæ prætoriaræ. De actionibus hisce in rem universalibus ut & de specialibus omnibus uno discursu tractare & nimis arduum, operosum & longum foret, ideoque quæ ex classe actionum in rem specialium sunt, & rei singularis vindicationis, & actionis confessoriaræ & negataræ, adeoque civilium in rem actionum scrutinio contentus, disputationis telam pertexam.

(a) De qua agitur in § omnium. 1. vers. veluti l. de A. & in tt. ff. & C. de R. V. (b) de qua in § equè. 2. l. eod. (c) de qua in § equè. 2. vers. contra quoq. l. eod. (d) de qua in § sed ista. 3. vers. ut ecce plerumq. l. eod. (e) de qua in § rursus. 5. l. eod. (f) de qua in § item si quis in fraudem. 6. l. eod. (g) de qua in § item Serviana. 7. vers. Serviana autem. l. eod. (h) de qua in d. §. item Serviana. 7. v. quasi Serviana. l. eod. (i) de qua in t. si ag. vect. item in § adeo autem. 3. l. de locat. & conductio. (k) de qua specialiter in l. 73. § 1. & l. 74. 75. ff de R. V.

A 3

9. Rei

9. Rei vindicatio dicitur vel à vindicando, id est, liberando & asserendo de jure ac manu possessoris seu appropriando, von zueignen. Vel à vindiciis, quæ olim dicebantur res illæ, quæ ex fundos de quo erat controversia, in jus allatæ erant.

Coras in § appellamus. 1. de A. Gell. lib. 2. N. A. cap. 9. Cic. pro Mura. Harp. ad Somnium. 1. n. 18. & alii ab eo ibi allegati 1. de Act.

10. Rei vindicatio sumitur generalissimè, ut est vel rei universalis vindicatio, quæ propriè dicitur hereditatis petitio, vel rei singularis vindicatio. Ut autem actionis in rem seu realis nomen est generale vel speciale: In genere enim concernit res & possessiones & denotat & rei vindicationem & interdicta: In specie concernit aut res tantùm seu dominium seu proprietatem rerum, & denotat vindicationes tantùm: Aut concernit rerum possessionem tantùm & denotat interdicta. (a) Sic rei singularis vindicatio accipitur generaliter & specialiter. Generaliter continet rerum & corporalium & incorporalium vindicationem. Specialiter rerum corporalium vindicationum tantùm respicit. (b)

(a) Vult. § 1. n. 29. 1. de interd. (b) Dominus Præceptor Fomanus Disp. 28. th. 7. & 8. Giph. Disp. 36. th. 9. & ibi Oleman. n. 34. Hoën. disp. 19. th. 2. lit b.

11. Rei vindicatio est actio realis, specialis (a) qua quis petit se dominum rei controversæ declarari (b) & eam officio judicis à possessore sibi restitui. (c)

(a) hereditatis 7. C. de pet. heredit. l. sicut in rem. 3. C. de prescript. 30. annor. (b) l. ex diverso 35. §. ubi autem 1. ff de R. V. l. sicut 8. § sed si queritur. 3. ff si servit. vind. (c) § 1. 1. de A. l. qui restituere 69. ff de R. V. Wes. in paratit. ff. n. 2. eod.

12. Secundum hanc definitionem rei singularis vindicationis seu rei vindicationis propriè sic dictæ, tria sunt requisita actionis rei vindicationis: I. est res corporalis, ut rei vindicatio tantùm rerum corporalium nomine competat. II. ex parte agentis est dominium directum & utile, ut actor sit rei dominus eamque, dominium ejus sibi asserens, suam esse contendat. III. ex parte rei est possessio, ut ex adverso reus rei petitæ sit possessor, & se dominum esse asserat.

7.

13. Rei vindicatio est duplex: Directa & Utilis, Directa domino directum dominium habenti: Utilis ei datur, qui in re petita dominium habet, ut est emphyteuta a) vasallus b) superficiarius c) item mulier, si maritus ex ejus pecunia dotali rem aliquam emit d) pupillus vel minor, quatenus res suâ pecuniâ emta est, eatenus contra tutorem utilem habet rei vindicationem e) & militi etiam, si quis rem aliquam comparavit ex pecunia militis, utilis rei vindicatio competit. f)

a) l. 12. de fund. patrim. l. 1. 2. C. de jur. emphyt. l. agri. 1. ff. si ager vect. b) c. un. § rei autem de invest. de re alie. fact. & ibi FF. c) l. 74. 75. ff. de R. V. d) l. mater 34. l. res quæ ex dotali. 54. ff. de jur. dot. Goth. ad l. 8. C. si quis alt. vel sibi, sub alt. nom. & ad l. 48. § 7. ff. de furt. lit. a. e) l. si tutor. 2. ff. quand. ex fact. tutor min. ager. vel con. poss. l. idemq. ff. qui potior. in pign. l. si curator. 3. C. arbit. tut. f) l. si. 8. C. de R. V.

14. Circa definitionem allatam in controversiam rapitur quæstio: An rei singularis vindicatio tam corporalium quam incorporalium rerum nomine competat.

Equidem statuo, quod rei singularis vindicatio generaliter considerata, vel etiam improprie tam corporalium quam incorporalium rerum nomine competat, cum Jacob. Revard, in explicat. l. 12. tabul. cap. 9. pag. 68. Vult, ad § 1. n. 27. & 30. I. de A. Dñ. Foman. disp. 26. th. 6. lit. g. Hoën. disp. 19. th. 2. lit. c. ob seqq. rationes: I. Omnes actiones in rem generali nomine vindicationes appellantur. § appellamus. 15. I. de A. l. actionum. 25. ff. de O & A. Atqui de rebus incorporalibus competit etiam actio in rem, ut disertè scriptum est in § aequè I. de A. E. de rebus incorporalibus etiam rei vindicatio competit. II. Gregis nomen revera juris nomen est & in intellectu consistens quasi corpus l. si grege 22. ff. de legat. 1. § si grex. 18. §. adibus. 19. I. de legat. Atqui vindicatio de grege competit. l. 1. § per hanc. 3. in pr. l. in rem. 23. § etiam. 5. l. vindicatio. 56. ff. de R. V. E. rei vindicatio etiam de re incorporali competit. III. Quæcunq. in jure nostro vindicantur, de illis competit rei vindicatio tt. tt. ff. de R. V. Atqui non solum res corporales, sed etiam incorporales in jure nostro vindicantur, veluti hereditas, ususfructus, servitus, pignus l. pen. § etiam. 1. ff. si ususf. pet. l. 34. § colono. 1. ff. de usufr. & quemad. l. 16. § in vindicatione. 3. ff. de pignor. & hypoth. l. si à creditore. 7. C. de O. & A. t. t. si servit. vind. E.

IV. Quæcunq.



IV. Quaecunq; rei in dominio nostro sunt, vindicantur. l. in rem actio. 23. ff de R. V. Hoc enim proprium requisitum est rei vindicationis, ut actor ob dominium suum agat contra possessorem. tt. tt. ff. & C. de R. V. Atqui res incorporales, ut servitutes sunt in dominio nostro, & quidem aequè sunt in dominio jure civ. atq; res corporales, dominiū enim servitutis à veterib. dicitur. l. qui 3. ff si ususf. pet. l. semper. 15. §. ergo. 8. ff quod vi aut clam. E. res incorporales vindicantur, & de iis est rei vindicatio. V. Quarum rerum ex emptione nobis fit traditio, nostraq; est possessio, in illis etiam nostrum est dominium, & nostra est pro illis vindicatio. arg. l. pecunia. 178. § hereditatis. 1. ff de V. S. l. in rem. 23. ff de R. V. Atqui juris in fundo, adeoq; rei incorporalis ex emptione nostrā fit traditio & possessio. l. quotiens. 20. ff de servit. E. juris in fundo, & sic rei incorporalis nostrum est dominium, & pro illis competit nobis rei vindicatio. VI. Proprietas, servitus, jus pignoris sunt res incorporales. arg. t. 1. de reb. corp. & incorpor. At rei vindicatio pro his datur triplex, videlicet proprietatis, servitutis & pignoris. l. 3. § est autem. 3. & § Pomponius. 12. ff ad exhibend. Ubi primum quidem actio personalis datur ad exhibendum, sed deinde rei vindicatio ob proprietatem, servitutem & pignus d. § 12., nec ibi additur quod una vindicatio, alterā vel magis vel minus sit vindicatio. E. rei vindicatio etiam rerum incorporalium nomine competit. VII. Libertas est res incorporalis, est enim in personā qualitas, res non corporalis. Atqui rei vindicatio ratione etymologiae suae, vel maxime ad libertatem spectat, ut patet ex Livio decad. 1. lib. 3. qui rei vindicationis nomen à Vindice servo tractum esse autor est. Hic enim, quod conjurationem juventutis de reducendo Tarquinio retexisset primus in liberā civitate libertatem est assecutus, ut inde vindiciae directè concernant libertatem, rem incorporalem. Hinc etiam redemptores seu assertores libertatis dicuntur vindices libertatis, ut ex Livio, Cicerone, Tertulliano, Jacobus Revard. d. loco demonstrat. E. rei vindicatio est etiam rei incorporalis.

15. Cum rei vindicatio detur adversus possessionem, controvertitur: An detur adversus possessorem quemvis, qui facultatem rei restituendae habet, sive reverā possideat sive non?

Ad quod affirmatè respondeo cum Hottom. illustr. q. 20. Bronch. cent. 1. assert. 75. Vult. ad § 1. n. 66. l. de A. Hoën disp. 19. th. 3. lit. a, nec desunt rationes: 1. Quaecunq; actio datur pro possessione restituenda etiam adversus

adversus eum, qui nudam tantum & corporalem rei detentionem habet, illa datur adversus possessorem quemvis; Ille enim detentor verus & unicuique possessor non est. Atqui rei vindicatio pro possessione ita datur. I. officium. 9. in fin. ff de R. V. Ubi domino rei datur contra depositarium, commodatarium, colonum, inquilinum rei vindicatio, ut ab illis rem suam vindicet: Illi autem veri possessores non sunt. l. rei. 8. ff commodat. l. licet. 17. § rei. 1. l. non solet. 39. ff locat. E. rei vindicatio datur adversus quemvis possessorem. II. In l. in hac actione 3. § fin. ff ad exhib. datur actio ad exhibendum contra naturalem & civilem possessorem. Si itaque contra naturalem & civilem, adeoque quemvis possessorem datur actio ad exhibendum, datur etiam rei vindicatio, quia rei vindicationis preparatoria est actio ad exhibendum. l. 1. ff ad exhibend. At verum primum. d. l. 3. § fin. ff ad exhibend. E. & secundum. III. Qui animo possidet, ille verus & proprie dictus possessor non est, cum revera possidere sit vacuum rei possessionem apprehendere. arg. l. 2. § vacua. 1. & pr. l. 3. ff de action. emt. & vend. Atqui rei vindicatio datur contra animo possidentem. l. 3. § si servus. 16. § saltus, 11. ff de acq. vel am. poss. E. rei vindicatio datur adversus illum, qui verè non possidet, & sic contra quemvis possessorem. IV. Numularii, qui depositam tenent pecuniam usque dum pro eâ usuras reddant, non sunt veri pecunie possessores. At rei vindicatio datur contra numularios ad pecuniam depositam vindicandam. l. 24. § in bonis. 2. ff de reb. aut. iudicis possid. E. V. Si ipse actor, dum possidet, prius non auditur, ut de proprietate contendat, quam possessionem restituerit, utique rei vindicatio datur adversus quemvis possessorem, quia contra ipsum actorem non verum possessorem datur. Atqui verum primum. l. si quis. 25. C. de locat. & cond. l. ii § qui vinum. 3. ff locat. cond. E. & secundum. VI. Quod rei vindicatio detur adversus verum possessorem nullum est dubium propter l. un. C. de alienat. iud. mut. caus. fact. l. donec ancillam. 9. l. a possidentibus. 21. de R. V. & sexcentas leges alias. E. rei vindicatio & contra verum & contra quemvis competit possessorem.

16. An in rei vindicatione necessario requiratur, ut si dominus rem suam vindicet, ex adverso reus sive possessor se ejus rei dominum esse asserat & contra vindicet?

Et hoc affirmo cum Harp. ad § 1. n. 28. & seqq. I. de A. Giph. ad d. § 1. v. possessor autem. Stephan. Matth. cent. 4. q. 39. lit. b. Hoen. disp. 19. th. 3. lit. a. ob has rationes. I. In quacunque actione necessario possessor contra intentionem domini & actionis se dominum esse dicat, in eâ neces-

B

sario

farid requiritur, ut possessor sibi contra dominium vindicet; Idem enim sunt se dominum dicere & dominium sibi asserere vel vindicare. At in rei vindicatione requiritur necessario ut possessor contra intentionem domini & actoris se dominum esse dicat, per exp. text. in § omnium. 1. vers. veluti si rem. I. de A. E. II. In quacunque actione possessor non solum dominium non capit, sed & possessionem amittit ex hoc capite, quod scilicet non contra actorem dominium sibi asserat ad interrogationem magistratus, in ea omnino necesse est, ut possessor se contra actorem dominium sibi asserat. Atqui in rei vindicatione possessor non solum domini non fit particeps, sed & possessionem suam amittit, si non contra actorem ad interrogationem praetoris se dominum esse asserat, ut evincitur ex veteri & nativa formula rei vindicationis, qua actor ita agebat. Hunc ego hominem, vel hanc ego rem ex jure Quiritum meum vel meam esse ajo; Deinde praetor reum interrogabat, an contra vindicaret? quae vel tacente vel negante, se vindicare, praetor actori hominem vel rem, addicebat his verbis: Quando negas, ais negas, negas, hunc ego hominem vel hunc ego fundum praesenti vindicanti addico. Cont. lib. 1. disp. jur. civ. c. 12. Boët. in top. Cic. Briffon. lib. 5. de for. popul. Rom. pag. 375. Probus in lib. de noth. E. in rei vindicatione necessario requiritur, ut ex adverso possessor dominium sibi contra vindicet. III. Quod est contra equitatem, juris non est, arg. l. placuit. 8. C. de judiciis. At ut reus tantum neget ex adverso actorem dominum esse, actor vero statim ad nudam negationem difficillimo onere probandi gravetur, contra equitatem est, quia negare tantum alterum dominum esse, nec sibi dominium asserere, quilibet male fidei possessor & praedo facere potest. E. contra jus est, ut reus tantum neget adversarium actorem dominum esse, nec dominium sibi asserat. IV. Si non solum necesse, sed & honestum & utile est possessori rem possessam contra vindicare, id est se potius ejusdem rei ab adversario petita dominum esse asserere, nefas est illud prorsus non requiri asserere. Atqui verum primum. E. & secundum. Assumptio probatur, primo quod necesse sit: Si reus de se quoque pronunciari velit se dominum esse, omnino in initio litis contestationis ad petitionem adversarii actoris contra vindicare, id est, dominum esse se dicere tenetur; quia si nude tantum negaret adversarium dominum esse, iudex pro reo non aliter pronunciaret, quam eum saltem negasse dominum esse actorem, nec tamen sibi dominium asseruisse, & inde nec reum nec actorem, sed forte tertium aliquem dominum esse concluderetur. Etenim sententia iudicis naturae petitionis & libelli adaptanda est. l. ut fun-



7.

et fundus. 18. ff. com. divid. & si libellus & sententia discrepent, sententia nulla est. l. fin. C. de fideicom. libert. Atqui verum primum, alias nulla ejus possessio esset. l. officium. 9. ff. de R. V. E. & secundum. Secundò quod honestum sit: Si possessor ad petitionem actoris non contra vindicaret, ob id negare tantum censeretur, quasi actor jure probandi destitueretur, nec sibi rem defendere, neq; ullum jus dominii in re habere: quia nuda & simplex negatio in odium quidem est adversarii, sed pro negante nihil obtinet, si querimus in confessionem potius injustæ possessionis incurrit. Atqui hoc inhonestum est. E. & illud. E. honestum est reum possessorem dominium sibi contra vindicare. Tertio quod utile sit: Si possessor dum dominium sibi contra vindicat, & se rei ab adversario petita dominum esse asserit, judicem magis conciliat & movet, ut de causâ ipsius melius sentiat, adeoq; ei faveat, utile est possessori se rei possessæ dominum asserere, quod enim alicui emolumento est, illud eidem utile est. Atqui verum primum; quia hos favore nostro amplecti solemus, de quibus bene existimamus, aversi contra esse ab eis, quos malam fovere causam putamus. Donell. ad § omnium, 1. circa fin. ibiq; Harp. n. 34. l. de A. E. & secundum.

17. Cum itaque rei vindicatio detur vero domino contra possessorem quemvis, utique etiam contra bonæ & malæ fidei possessores; quaritur ergò primum an bonæ fidei possessor fructus omnes & industriales & naturales, perceptos & separatos lucretur & suos faciat?

Ego statuendum esse puto, bonæ fidei possessorem omnes fructus, non tantum industriâ hominum provenientes seu industriales, sed & naturales percipere & perceptos suos facere, adeò ut dum b. f. p. permanet, domino rei vero nondum cognito nihil eorum cuiquam, vel etiam ipsi domino restituere cogatur, cum Wes. ad § si quis à non domino, 35. n. 11. ibiq; Heig. n. 14. Harp. n. 23. & seqq. & ab eo allegatis, l. de R. D. Bocer. in tract. de crim. majest. in append. de fruct. ib. n. 57. & seqq. Dn. Foman. disp. 9. th. 20. lit. b. c. cum pluribus ibi allegatis. Vult. lib. 1. schol. c. 20. Ant. Fab. lib. 4. conject. c. 17. Dom. Arumæ. exercit. Instit. 4. th. 19. Olcman. ad disp. 1. Giphan. 9. n. 31. And. Gerhard. exercit. Instit. 4. decad. 9. & alii ob seqq. rationes: 1. Quod æquitas ipsa & naturalis quedam ratio dicitur, id justum esse nullum dubium est. l. placuit. 8. C. de jud. Atqui quod b. f. p. cum fundum coluerit & in eam rem sumtus fecerit, & diligentiam & operam impenderit, fructus pro labore suo industriales percipiat & suos faciat.



naturalis ratio dicitur, § si quis à non domino. 35. I. de R. D. asserentibus
ipsis contrariae sententiae defensoribus. Hoën disp. I. th. II. per tot. E. b. f.
possessorem fructus industriales percipiendo suos facere nullum dubium est.
II. Exp. text. est in l. bonae fidei 48. in pr. ff de acq. rer. dom. Ubi dicitur :
Bonae fidei possessorem fructus suos facere non tantum qui diligentia & opera
ejus pervenerunt, sed omnes. At qui illi fructus ex diligentia & opera sunt
industriales. E. fructus industriales b. f. p. lucratur. III. Ubiq; una ea-
dem est acquisitionis causa, ibi necessario eadem est acquisitio. Causa
enim una est unius sui effectus causa. At in fructibus naturalibus eadem
est causa acquisitionis, quae est in fructibus industrialibus, ex alterius fa-
cto nitis, videlicet bona fides. Etenim b. f. p. facit fructus industriales per-
ceptione suos, non pro cultura & cura, quam nunquam adhibuit, sed tan-
tum ob bonam fidem. l. qui bona fide. 23. l. quaesitum. 40. l. bonae fidei. 48
ff de acq. rer. dom. quae quoad naturales est eadem. Quippe b. f. p. si nullam
adhibuerit curam & culturam, ius acquirendi fructus non amittit, cum
quosdam tantum acquirat ob bonam fidem, quosdam vero tam ob bonam
fidem quam culturam, quorum hi sunt solum industriales, ex facto bonae
fidei possessoris niti. Illi tam industriales, non ex facto ipsius, sed alterius
procreati, quam naturales. E. b. f. possessori tam fructus naturales, quem-
admodum industriales acquiri necessum est. IV. Quicquid est aut nume-
ratur in fructu, id ita pertinet ad b. f. possessorem, ut ipsius fiat statim. l.
sequitur. 3. §. lana. 19. ff de usurp. & usucapio. l. qui vas. 48. § ex furtivis.
6. ff de furt. l. bonae fidei. 48. § fin. ff de acq. rer. dom. id est sola separati-
one aut perceptione. d. l. 48. ff de acq. rer. dom. l. si ejus. 78. ff de R. V.
Atqui fructus naturales etiam in fructu esse aut numerari, nemo sanus ne-
gat, ne contradictio implicetur. E. fructus naturales etiam ita ad b. f. pos-
sessorem pertinent, ut ipsius statim fiant ipsa perceptione & separatione.
V. Bona fides tantum possidenti praestat, quantum ipsa veritas, id est, domi-
nium, quoties lex impedimento non est, l. bona fides. 136. ff de R. J. At do-
minium praestat indistincte omnes fructus praedii domino. l. 25. § in alieno.
1. ff de usurp. E. omnes indistincte fructus & naturales & industriales b. f.
possessorem, ob bonam fidem suam percipere & suos facere certum est, do-
nec lex aliqua impedimento esse demonstratur.

18. Cum itaque bonae fidei possessor, quatenus talis
fructus omnes, quos percepit & naturales & industriales suos
faciat, quaeritur ulterius de restitutione, si bona fides interpel-
letur.

4.
11.
letur, vel supervenerit alterius rei scientia, & eadem res ab eodem evicta fuerit, quos tunc fructus perceptos in iudicio rei vindicationis restituet, an industriales tantum, an naturales tantum, an omnes utriusque speciei, an extantes tantum, an consumptos tantum, an extantes æquè ac consumptos.

Bonæ fidei possessorem omnes fructus consumptos tam naturales tam industriales lucrari & sibi retinere, at verò & naturales & industriales perceptos & adhuc extantes domino vero restituere teneri statuo cum Ario Pinell. in l. 2. par. 2. c. 4. n. 55. & 60. C. de rescind. vendit. Ubi sic contra dissentientes in praxi receptum esse ait, Wes. in § si quis à non domino. 35. n. 10. & 11. l. de R. D. ibiq; Heig. n. 11. & seqq. Harp. n. 29. & seqq. Ant. Fab. lib. 4. conject. c. 17. C. in. ad l. 2. § fructus. 5. & § lana. 19. n. 13. & seqq. ff de usurp. & usucapio. Vult. lib. 1. discept. schol. c. 20. Fach. lib. 1. cont. c. 57. Bronch. cent. 3. assert. 78. Olemann. disp. 9. n. 30. & seqq. Philipp. Matth. ad l. 136. ff de R. I. Nec desunt rationes. I. Quod sub conditione demum perfectè, absolute & irrevocabiliter alteri acquiritur, id deficiente conditione ab ipso revocari poterit. l. qui heredi 44. l. Mevius. 55. l. tales. 112. ff de condit. & demonstrat. l. multum. 19. ff de heredit. vel actio. vendit. Atqui fructus tam naturales quam industriales b. f. possessori perfectè acquiruntur sub conditione illa si scilicet consumti sunt. l. sed & loci. 4. § post litem. 2. ff fin. regund. ibi: Si eos consumsit, ubi particula, Si conditionem importat, que precise adimpleri debet, si b. f. p. fructus lucratur, & l. sequitur. 4. § lana. 19. ff de usurpat. & usucapio. ubi b. f. p. agros suos facit si consumti sunt. E. fructus naturales b. f. p. si consumti sunt, retinet, si non consumti sunt, quasi deficiente illa conditione, possunt ab eo revocari ut restituantur. II. Fructus prediorum non tantum sunt industriales sed & naturales, quia illi opera hominum, hi insita virtute prediorum naturali in prediis excrescunt. arg. l. fructus. 45. ff de usur. l. ejus fundi. 78. ff de R. V. At b. f. p. fructus prediorum consumptos suos facit, ut ab eo non restituantur. l. questum. 40. in fin. ibi: Consumptos suos facit. ff de acq. rer. dom. E. b. f. p. fructus & naturales & industriales consumptos suos facit ut non restituantur. E. extantes solum restituit secundum naturam oppositorum. § si quis à non domino. 35. l. de R. D. l. 41. § fundum. 1. ff de re judicat. III. Quoscunque fructus naturales vir & uxor ex re donatâ perceptos donatori cogitur restituere, illos etiam tenetur bonæ f. p. vero domino prestare. l. fructus. 45. de usur. Atqui fructus naturales



non consumptos tenetur vir vel uxor donatori restituere. l. si fructus. §. C. l. si sponsus. §. 18. ff de donat. int. vir. & uxor. E. fructus naturales non consumptos b. f. p. vero domino prestare & restituere tenetur. IV. Quodcumq; adhuc usucabile est, id haecenus ita acquisitum est, ut tamen possit revocari. Quae enim res tam perfecte mea est facta, ut nullum in ea sit jus alienum, quod eius rei usum & possessionem mihi auferre possit, usucapi non potest. §. sed si rem. 10. l. de legat. §. sic itaque discretis. 14. l. de A. l. 12. §. 7. & §. ff de cap. & postl. rever. l. 3. l. 4. ff de acq. rer. dom. Atqui fructus industriales separati & percepti usucabiles sunt. l. sequitur. 4. §. lana. 19. ff de usucap. Ubi quaeritur de lana ovium furtivarum, apud b. f. emptorem detonsa an usucapi possit? & respondetur quod sic, quia in fructu est, & quidem quod à b. f. possessore possit usucapi, quatenus adhuc extat. E. haecenus ita tantum acquisiti sunt, ut à domino possint revocari. E. multo magis naturales. arg. l. fructus. 45. ff de usura.

19. An autem bonæ fidei possessor fructus consumptos, siue eorum æstimationem tum restituere teneatur, quando ex consumptione eorum factus est locupletior?

Negantium opinionem jure fundatam defendere conabor cum Pinell. in l. 2. par. 2. c. ult. n. 60. C. de rescind. vendit. Ant. Fab. lib. 4. conject. c. 17. circa fin. Wes. in §. si quis à non domino. 36. n. 14. ibiq; Harp. n. 41. & seqq. & cum pluribus ab eo allegatis, n. 45. Heig. n. 11. & seqq. l. de R. D. Vult. lib. 1. discept. schol. c. 20. Fach. lib. 1. cont. c. 58. Bronch. cent. 2. miscell. assert. 37. Hoën. disp. 4. l. th. 12. has ob rationes datas. I. Oratio universalis negativa non est determinatè ad certam speciem restricta, ut generale quoddam non est speciale. At in §. si quis à non domino. 351. de R. D. est oratio universaliter negativa scilicet quod de fructibus à b. f. possessore consumptis dominus agere non possit; Ubi particula negativa pro natura sua quando verbo, Potest, adjecta est, precisè negat & omnem omnino fructuum consumptorum repetitionem excludit. Sic in §. & si in rem. 2. vers. & si hereditas. l. de offic. judic. universaliter negatur vel triplici negatione, quod scilicet non habetur ratio neq; ceu consumptorum neq; perceptorum fructuum à b. f. possessore, & sic nequaquam in utroq; hoc §. §. distinguitur, an b. f. possessor sit locupletior factus ex consumptis fructibus, nec ne. E. corrumpit illa assertio, quod b. f. p. fructus consumptos restituat, si ex illis sit locupletior factus. II. Qui fructus verè lucratur consumptos, ille eosdem retinet, ut non restituat, etiamsi inde locupletior factus dicatur, Nam ille fructus verè lucratur,

4.

lucratur, qui ex eorum consumptione locupletior factus est; At qui locupletior factus non est, non potest dici quod lucretur, quamvis illos non restituat, ac proinde si is, qui locupletior factus non est, diceretur lucrari per contradictionem in adjecto, qui non factus est locupletior, diceretur locupletior factus. At b. f. p. fructus consumptos lucratur. l. sed & loci. 4. § post litem. 2. ff. fin. regund. E. b. f. p. fructus consumptos retinet, ut eos non restituat, quamvis inde locupletior factus sit. III. Ubi textus non distinguit, ibi nec nos distinguere debemus. l. de pretio. 8. ff. de publ. in rem actio. l. 1. § generaliter. 1. ff. de legat. prestand. l. metum. 9. § 1. ff. quod met. caus. l. 20. § petitam. 11. ff. de petit. heredit. Atqui in l. sequitur. 4. § lana. 19. de usurpat. & usucap. indistinctè negatur, quod videlicet b. f. p. fructus consumptos restituat, sive inde locupletior factus sit sive minus, eodemq; modo negatur in l. certum 22. C. de R. V. E. b. f. p. fructus consumptos non restituere, sive sit sive non sit locupletior factus statuendum est.

20. Annè bonæ fidei possessor fructus, quos percepit & consumsit, post litem contestatam restituere teneatur?

Ad quod affirmatè respondendum esse censeo cum Dn. Foman. in prælectionibus ipsius ad t. ff. de R. V. & cum communi DD. scholâ, ob seqq. rationes. I. Per fructus universos collectivè veniunt omnes & extantes & consumti fructus, maximè cum antè est oppositio facta inter fructus extantes & consumptos. l. certum. 22. C. de R. V. Atqui b. f. p. fructus cogitur prestare cum re universos post litem contestatam. l. certum. 22. C. de R. V. E. b. f. p. post litem contestatam fructus cum re & extantes & consumptos prestare & restituere tenetur. II. Oppositis fructibus bonâ fide ante & post litem contestatam perceptis, id quod de specie eorum altera affirmatur, de alterâ negatur. Oppositorum enim uno affirmato, alterum negatur. Atqui de fructibus bonâ fide perceptis ante litem contestatam in oppositione ad fructus post litem contestatam perceptos affirmatur, quod b. f. p. eosdem retineat consumptos, nec restituat. l. sed & loci. 4. § post litem. 2. ff. fin. regund. arg. l. 1. § 1. & l. 2. C. de petit. heredit. E. de fructibus bonâ fide post litem contestatam perceptis negatur, quod b. f. p. eosdem consumptos absq; ullâ restitutione retineat. III. Mala fidei possessor vero domino tenetur universos fructus & extantes & consumptos restituere. l. certum. 22. C. de R. V. Atqui bonæ fidei possessor post **LITEM** contestatam

incipit

incipit mala fidei possessor esse. l. sed et si. 25. § si ante litem. 7. ff de petit. heredit. E. b. f. p. post litem contestatam domino fructus universos perceptos, extantes & consumptos restituere tenetur.

21. Nunquid is, qui errore juris lapsus est, habeat bonam fidem, ut fructus acquirat?

Negativam teneo cum Pinell. ad l. 2. C. de rescind. vendit. par. 2. c. 4. n. 34. & seqq. Fach. lib. 8. contro. c. 29. Harp. ad § si quis à non domino. 35. n. 43. & pluribus ibi allegatis. I. de R. D. his motus rationibus:

I. Juris ignorantia non prodest acquirere velentibus, scilicet ubi de lucro captando agitur: Suum verò petentibus non nocet sc. ubi de damno evitando agitur. l. juris. 7. & ibi Goth. in not. l. m. ff de jur. & fact. ignoran. At qui fructus vult acquirere eo ipso, quod juris errore labitur tanquam bonâ fide, illius ea est juris ignorantia, qua de lucro captando agitur. E. ipsi sua juris ignorantia ad acquirendos fructus non prodest. II. Juris error in compendiis ne mulieribus quidem prodest. l. error. 8. l. quemvis. 11. l. fin. C. de jur. & fact. ignoran. l. juris. 6. C. qui adm. ad bonor. possessio. cum tamen earum maximus sit favor. arg. l. 2. C. ad Sc. Vellei. Atqui si quis errore juris lapsus eundem ut bonam fidem ad percipiendos fructus pretendit, illius error juris in callidis & nociferis compendiis versatur. E. juris error ipsi non prederit, ut ceu bonâ fide fructus percipiat.

22. Quid juris habeat bonæ fidei possessor in acquirendis sibi fructibus ex re alienâ, satis & abundè satis ex modò disputatis constat: De restitutione fructuum quoad malæ fidei possessorem reliquum est ut dispiciamus. Malæ autem fidei possessor rei alienæ omnes indistinctè fructus & perceptos & consumptos & percipiendos restituere tenetur, adeoque nihil fructuum acquirat aut lucratur.

In hanc sententiam autoritate Cujas. ad l. sed & partus. 12. in pr. ff quod met. caus. Cop. in tract. de fructib. lib. 2. t. 4. c. 1. & 2. Vult. lib. 1. discept. c. 20. Bronch. cent. 2. assert. 87. Forst. par. 1. disp. 6. th. 28. Harp. ad § si quis à non domino. 35. n. 58. ibiq. Heig. n. 24. I. de R. D. & his seqq. ducor rationibus. I. Si bonæ fidei possessor fuerit, non habetur ratio neq. consumptorum, neq. non perceptorum: Post inchoatam autem petitionem etiam illorum fructuum ratio habetur, qui culpâ possessoris percepti non sunt, vel percepti consumti sunt, inquit Imp. in § & si in rem. 2. I. de offic. judic. Atqui post inchoatam petitionem b. f. p. qui fuit, mala fidei possessor existit.

7.
existit, arg. l. certum. 22. C. de R. V. E. quoad illum m. f. p. fructuum
& nondum perceptorum, & perceptorum a c. consumtorum ratio habetur,
ut restituantur omnes. II. Fructus qui à petitore percipi potuerunt, intelli-
guntur fructus percipiendi secundum Bart. Atqui m. f. p. fructus aestimatos
reddat, qui à petitore percipi potuerunt. l. si navis. 62. § generaliter. 1. ff
de R. V. E. m. f. p. fructus etiam percipiendos restituat. III. Qui cum ipsâ
re omnes fructus prestare cogitur, ille tenetur etiam ad fructus percipien-
dos, tum quod particula omnis sit universalis collectiva nihil de homogeni-
is excludens, tum quod inter fructus cum ipsâ re venientes principaliter
sint percipiendi. Atqui m. f. p. tenetur omnes fructus cum ipsâ re prestare.
l. certum. 22. C. de R. V. E. m. f. p. tenetur etiam fructus restituere perci-
piendos. IV. Fructus extantes affectione genericâ comprehendunt etiam
fructus percipiendos, maxime oppositi fructibus consumtis, arg. l. si pigno-
re. 22. § si prædo. 2. ff de pignor. actio. l. mala. 3. C. de condict. ex leg. l.
certum. 22. de C. R. V. Atqui à malâ fide possidente fructus extantes vindi-
cantur, consumti conditione petuntur, adedq; oppositio illa genus arguens
patescit. l. mala. 3. C. de condict. ex leg. E. à malâ fide possidente etiam
fructus percipiendi vindicantur. V. Fructus quos percipere potui, sunt fru-
ctus percipiendi, arg. l. fructus. 33. ff de R. V. l. cum servus, 39. § 1. ff de le-
gat. 1. § & si in rem. 2. l. de offic. judic. Atqui m. f. p. tenetur restituere
fructus non solum eos, qui percepti sunt, verum si plus ego percipere potui.
l. sed & partus. 12. in pr. ff quod met. caus. l. ait prætor. 10. § per hanc. 19.
ff qua in fraud. credit. E. m. f. p. ad fructuum percipiendorum restitutio-
nem tenetur.

23. Haftenus de rei vindicatione: Actio confessoria
& negatoria sequitur. Est autem confessoria actio in rem spe-
cialis data domino ad servitutem suam ab adversario vindican-
dam. Ut itaque servitus est duplex, personalis & realis: Ita
actio confessoria est duplex: Confessoria scilicet servitutis per-
sonalis quæ nobis, & realis quæ fundo nostro debetur.

24. Requisita actionis confessoria servitutis personalis
sunt hæc duo: I. Ut detur actori, qui sit dominus servitutis &
juris petiti sibi que constituti contra quemcunque etiam non
dominum, usum tamen servitutis interpellantem. a) II. Ut
adversarius actorem eo jure uti impediatur. b)

a) l. 3. § idem Julianus. 5. ff de itiner. l. si quis diuturno. 10. § fin.

C

ff si

ff. si servit. vind. § equè. 2. & ibi Vult. n. 11. I. de A. b) d. § equè. 2. I. de A.

25. Requisita actionis confessoria servitutis realis sunt hæc duo: I. Ut actor prædio suo à prædio alterius adversarii sui servitutum deberi asserat. II. Ut ostendat adversarium suum prohibere, quò minus ea vel omninò, vel eo modo, quo oportet, utatur.

Vult. d. n. 11.

26. Actiones confessoria servitutis tum personalis tum realis hæc communia habent: I. Ut in utraque servitus dicatur deberi à re alterius. II. Ut servitus dicatur deberi sibi vel prædio suo. III. Ut servitus seu usus ejus dicatur interpellari ab adversario. Differunt autem in hoc, quòd actor in confessoria servitutis personalis non necesse habeat, ut sit dominus vel in possessione prædii alicujus; At in actione confessoria servitutis realis necessariò requiritur, ut actor ejus prædii, cui servitutum deberi asserit, dominus sit. Et de hæc actione agit *Imp. cum in d. § equè. 2. & 7C. in l. 2. § 1. ff. si servit. vind.* inquit: In rem actionem confessoriam nulli alii quàm domino fundi, intellige cui servitus debetur, competere.

27. Cum itaque certi juris sit, domino juris vel servitutis, quod ac quàm à re alterius sibi deberi contendit dari actionem confessoriam servitutis, quatenus ab alio impeditur; In controversiam abripitur quæstio: An etiam usufructuario competat actio confessoria pro vindicandis servitutibus fundo fructuario debitis & ad eum pertinentibus, quatenus ab alio in iis impeditur?

Usufructuario, qui in usu servitutis, ad fundum suum fructuariū pertinentis, impeditur, dari actionem confessoriam non directam, sed utilem status cum Longovall. in repetit. l. imperium. 3. ff. de jurisdic. pag. 267. Robert. lib. 2. recept. lectio. c. 12. Donell. lib. 11. comm. c. 15. Bronch. cent. 1. assert. 90. Vult. lib. 1. discept. schol. c. 18. Harp. ad § equè. 2. n. 5. I. de A. & pluribus ibi allegatis. Hoën. disp. 1. 19. th. 3. lit. b. has ob rationes. I. Quis servitutum vindicare non potest, & tamen usumfructum vindicare potest, quasi uti frui eum vicinus non patiat, ille non directam, sed utilem actionem confessoriam habet; quia directam actionem confessoriam petitur ser-

vitus

7

vicus sibi deberi. § aequè. 2. l. de A. Atqui fructuarius servitutem vindicare non potest; at usumfructum vindicare potest, ut ei adversarius vicini fundi dominus, teneatur, quasi non patiatur uti frui. l. 1. in pr. l. uti frui. 5. § iterum. 1. in fin. ff si usus. pet. E. Usufructuario non directa sed utilis actio confessoria competit. II. Usufructuario in proposito aut directa aut utilis competit actio confessoria; quia actio confessoria aliqua ei competit per l. si autem. 2. in fin. ff de oper. nov. nunciat. & exp. tex. in l. un. § item Juliano. 4. ff de remissio. Atqui directa ei non competit; quia hac nulli nisi domino fundi proprietario datur. l. de servitutibus. 2. § hec autem. 1. l. 4. § fin. l. et si. 6. § 3. ff si servit. vind. E. usufructuario utilis actio confessoria competit.

28. Ulteriùs disputationis aleam subit & hoc: Si servitus nobis vel fundo nostro à re alterius debitâ ab adversario interpellatur, petamus utique illam nobis restitui, sed an restitutio illa jure actionis, an judicis officio petatur?

Equidem statuo servitutem nobis debitam, & ab alio impeditam, jure actionis petendam esse cum Harp. ad § aequè. 2. n. 8. l. de A. Stephan. Matth. cent. 4. illustr. q. 49. in fin. Hoen. disp. 1. 19. th. 3. lit. b. his edoctus rationibus. I. Actio confessoria non est officium judicis; sed jus potius ad officium judicis accedens, vel medium & modus quo officium judicis exercetur. Atqui servitus nobis vel fundo nostro debita à vicino nobis impedita petitur actione confessoria. l. loci. 4. § si quis militi. 5. ff si servit. vind. Ubi servitus itineris vel actus, de qua nulla controversia mihi movetur, adedq; debetur sed impeditur, dum vicinus eam mihi rescicere vel sternere nolit concedere, actione confessoria petitur. E. servitus nobis vel fundo nostro debita à vicino nobis impedita non officio judicis petitur ut restituatur. II. Si quæ rebus commodatis accedunt jure actionis commodati, nec officio judicis petuntur, utique ea quæ juri servitutis accedunt, ut restitutio ejus, si impediatur, actione in jure propositâ, videlicet confessoria, petuntur; Si enim non ibi in commodato nec hic in servitutibus actio ordinaria suo fine frustratur. Atqui verum primum. l. si ut certo. 5. § usq; 9. ff commodat. E. & secundum. III. Si ob deposita tenetur depositarius ad dolum, actione depositi, non officio judicis, etiam servitutes nobis debita & impedita actione convenienti petantur; cum utrobique sit actio prodita. Sed verum antecedens. l. 1. § 6. 7. 8. § si cista. 41. ff deposit. E. & consequens.

29. Actio negatoria est actio in rem specialis qua quis negat in re suâ adversario jus deberi.

C 2

30. Actio

30. Actio negatoria sic dicitur, quia actor ea rem suam adversario reo vel fundo ejus servitutem debere negat, & sic libertatem vindicat, negando servitutem a) aliàs contraria appellatur. b)

a) § equè. 2. l. de A. l. uti frui. 5. ff si ususf. pet. b) l. sicut. 8. ff si servit. vind. Vult. ad d. § equè. 2. n. 18.

31. Requisita hujus actionis duo sunt: I. Ut actor probet dominium rei, cujus libertatem asserit, aut saltè jus aliquod in eà habeat. II. Ut reus se servitutem in re actoris habere prætendat.

Vult. ad § equè. 2. n. 26. l. de A.

32. Actio negatoria datur soli domino, ut superiori adversus quemlibet servitutis usurpatorem. Utraque igitur actio & confessoria & negatoria datur soli domino; at non in solum dominum, sed in quemlibet interpellatorem sive usurpatorem servitutis.

33. Confessoria & negatoria actiones nunquid sic dicuntur à conceptione verborum affirmativa vel negativa; an verò ab ipsis utriusque proprietatibus & causis finalibus, quod putà tam in confessoria quam negatoria jus suum vel servitutis vel libertatis aliquis sibi sive affirmativè sive negativè quoad conceptionem verborum; at quoad proprietates in altera affirmativè, in altera negativè tantum asserat?

Prius nego, posterius affirmo cum Jason. ad § equè. n. 46. 47. Schneidw. n. 29. & 30. Vult. n. 9. Harp. n. 2. l. de A. & eod. Vultei. lib. 1. discept. c. 5. & lib. 2. l. R. c. 22. circa fin. Hoën. disp. 19. th. 3. lit. c. ob seqq. rationes. I. Quacumq; actione verbis quidem modò affirmantibus modò negantibus aliquid nostrum esse contendimus, illa tam affirmatione quam negatione quoad conceptionem constat; quia eadem affirmativè & negat. cõtendimus. Atqui tam confessoria quam negatoria aliquid nostrum esse verbis quidem modò affirmantibus modò negantibus contendimus. Actione enim confessoria nobis servitutem ita vindicamus, libertatem alicujus infirmamus; actione negatoria contra ad libertatem adstruendam servitutem evertendam ita agimus. § equè. 2. l. de A. l. de servitutibus. 2. in pr. & § 1. l. loci. 4. § 2. & § competit. 7. ff si servit. vind. l. 5. ff si ususf. pet. in quibus textibus ipse proprietates faciunt actionem vel confessoriam vel negatoriam; si conceptionem


4.

ceptionem verborum spectes, erit mera affirmatio, quia utrobique aliquid asseritur, ibi servitus, hic libertas. E. actio tam confessoria quam negatoria affirmativa & negativa est quoad conceptionem verborum. E. inde confessoria & negatoria tantum qualibet distincte & separatim dici non potest. II. Positis duabus actionibus, in qua utraque conceptio verborum modo est affirmativa modo negativa, proprietates vero in altera semper affirmativa, in altera negativa, illarum altera non a conceptione verborum, sed a proprietatibus suis dicitur confessoria, altera negatoria; Confessoria enim est affirmativa, negatoria negativa, que si a conceptione verborum tales essent, utraque modo affirmativa seu confessoria, modo negativa seu negatoria essent, id quod absurdum est. Atqui in proposito sunt duae actiones scilicet confessoria & negatoria, in qua utraque conceptio verborum modo est negativa modo affirmativa; proprietates vero in altera tantum affirmativa in altera negativa. E. in proposito confessoria & negatoria actiones non a conceptione verborum, sed a proprietatibus suis sic dicuntur. Assumptio hujus syllogismi exemplorum appositione probatur, 1. de actione confessoria: Si quis agat contra vicinum jus sibi esse ex fundo vicini aquam ducendi, vicino impediente, haec actio est confessoria, & sic haec formula ut & proprietas est affirmativa. § equè. 2. I de A. at vero si quis agat cum alio, ne liceat ipsi altius aedes tollere, ne luminibus nostris officiat, haec actio est confessoria, & tamen verbis negativis concepta, at vero secundum proprietatem affirmativa vindicatio servitutis, vindicat enim actor servitutem quam ipsi debet reus. Harp. d. n. 2. Hoën. d. disp. 19. th. 3. lit. c. E. in actione confessoria conceptio & formula verborum est vel affirmativa vel negativa, ipsa vero actio secundum proprietatem suam tantum affirmativa manet. 2. De actione negatoria: Si quis intendat contra adversarium jus aquam ex fundo ipsius ducendi sibi tribuentem ei non esse jus aquam ex fundo suo ducendi, haec actio est negatoria & verbis quidem & secundum proprietatem suam. d. § equè. 2. at vero si quis agat, jus sibi esse altius tollendi jure naturali, & agat in vicinum, qui edificare prohibet: Ajo mihi jus esse altius tollendi: Haec actio verbis quidem est confessoria seu affirmativa, at re ipsa & secundum proprietatem suam negatoria. Vult. ad dict. § equè. 2. n. 9. E. in actione negatoria conceptio & formula est vel affirmativa vel negativa, ipsa vero actio secundum proprietatem suam manet negativa tantum. III. Data instantia diluitur inductio. Atqui in his actionibus confessoria & negatoria datur instantia, quod scilicet actio confessoria

Actio secundum conceptionem suam verborum non semper sit affirmativa, sed etiam aliquando negativa, & negatoria secundum conceptionem suam verborum non semper sit negativa, sed quandoq; etiam affirmativa, ut exemplis in precedente ratione ostensum est. E. diluitur inductio scilicet quod actio confessoria semper à formulâ suâ verborum affirmativa dicatur confessoria, & quod actio negatoria semper à formulâ suâ verborum negativa dicatur negatoria. IV. Jura de rebus non de verbis statuuntur, ut Imp. non verborum sed rerum dominus est, penes quem est summa jura condendi potestas. Atqui in actione confessoria natura rei requirit, ut res nostra esse affirmetur, in negatoria contra negetur. E. actio confessoria & negatoria à re ipsâ, rei proprietatibus & causis potius, quàm à verborum formulis sic dicuntur. Cifn. ad d. Sequè. 2. n. 5. l. de A. Stephan. Matth. cent. 4. q. 40. V. Formule actionis cujusq; ad naturam ejus sunt accommodanda, non vice versâ proprietates & natura actionis cujusq; ad formulas accommodanda. Atqui in proposito actiones ad formulas præ proprietatibus earum accommodarentur, si à conceptione verborum sic dicerentur, E. in proposito à proprietatibus actiones sic dicuntur parum pensi habitâ verborum conceptione secundum DD. c. ad Sequè. 2. l. de A. referente Cifnero d. n. 5.

COROLLARIA FEUDALIA.

I.


Vallus servitutem rei in feudum sibi concessæ imponere nequaquam potest, ad eò ut licet aliàs præscriptione longi temporis servitutes acquirantur, in feudis tamen nec longissimi, nedum longi temporis præscriptio in tantum quidem domino præjudicet, ut ex eâ servitus imposita censeatur.

II. Patri

II.

Patri non acquiritur ususfructus feudi à filio familiaris acquisiti.

III.

Pontifex Romanus Imperii Romano-Germanici de jure vasallus est.

IV.

Nec pignus nec hypothecam in feudo vasallus licite constituere potest.

V.

Si dominus oppignorationi rei feudalis consenserit, & feudum domino ante solutionem aperitur, utique dominus pro vasallo solutionem facere tenetur.

VI.

Uxori pro dote in feudo mariti tacitam hypothecam non competere, ne quidem quoad maritum vita manet, rectè in Camera Imperiali observatum est contra Bartolum, ut Dn. Mynsingerus probè observavit.

F I N I S.



II
Pars non scripta...

III
Pars non scripta...

IV
Pars non scripta...

V
Pars non scripta...

VI
Pars non scripta...

F I N I S




X2617645

VDM







DISPUTATIO JURIDICA, 1612 ^{4.}
DE
ACTIONI- 5/
BUS IN REM CI-
VILIBUS, UTPOTE REI VINDI-
CATIONE, ET CONFESSORIA ET
NEGATORIA ACTIONIBUS.

QUAM

D. O. M. A.

&

*Amplissimâ Jctorum Facultate permitten-
te in inelyea SALANA.*

Praside præstantissimo VIRO,

Dn. VALENTINO MELASIO,
Brandeburgensi Marchicò LL.Candidato.

*Extraordinarii exercitii gratiâ Dominis Collegis
suis discutiendam proponit*

BERNHARDUS à FLOTOVV,
Nobilis Megapolitanus,

ii. Julii, hora & loco consueti.

JENÆ

TYPIS JOHANNIS WEIDNERI.

Anno à C. N. M. DC. XII.

4.